DE CALCULIS RENALIBUS DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD...

Stefano Orio

DE
CALCULIS RENALIBUS
DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD OBTINENDAM

MEDICINAE LAUREAM

IN I. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICAM FECIT

STEPHANUS ORIO

VENETUS

PATAVII
EX OFFICINA VALENTINI CRESCINII
MDCCCXXVIII

De Renum calculis disserere constitui. Verum ni me urgeret dura necessitas, gratum et volupe mihi foret silentium, quam verba facere in tanta mediocritate, qua melius est silere et peritiores audire. In dissertatione ergo medica legenda haud facile sperarem me auditurum iri, nisi facem praeferrent atque manu ducerent ii qui de eodem argumento quodammodo pertractarunt, immo nisi Vobis verba facerem, quorum erga me humanitatem atque benevalentiam quinquennio toto sum expertus. Vobis enim cum uterer Magistris, amore quodam paterno semper sublevatus sum; qui quidem minor non erit modo, ut confido, quum me legentem eodem affectu suffulcietis.

Sive ex theoriis magni nominis auctorum, sive ex iis quae practici ingenii observarunt, novimus nullam esse cavitatem in humani corporis fabrica, quae non possit in hospitium recipere novae formae corpus, quod vel ejusdem sit naturae, vel diversae cum principiis ejusmodi cavitatis, id

quidem est calculus, vel concretio calcarea. Verum praeter hujusmodi cavitates nobis numerandum est generatim viscerum parenchyma, tum in thorace cum in abdomine, ne omissis quidem cerebro, cerebello et medulla spinali. Has enim calcareas concretiones invenit Horstius in cute; in digitis T. Bonnet; in mamillis Riverius; in pene Penada; in testibus, et in eorum vaginali Vanderwiel; in vesiculis seminalibus Mattei; in variis cerebri partibus, et nervosi systhematis F. Ildanus, Soemmering. Maximi momenti est historia quam scribit Mojon de epilepsia lethali a calculo enata super nervo ischiatico (c. 1-89 T. 1. excerpta ex operibus editis a societate medica aemulationis Genuensis.) In auribus hujusmodi calcareas concretiones Bartholinus invenit; in naribus Hunter, in palpebris Aetius; in vias lacrymalibus Ledran; in aurium substantia inque optico nervo Soemmering; in glandulis salivalibus atque in linguae substantia Siebold; in faucibus, et in esophago Riverius; in aspera arteria et in pulmonibus Gilbert; in pericardio, in corde, et in systemate sanguineo Meibomius; in intestinis Panizza; in mesenterio atque in omento Morgagni; in liene Riverius, Morgagni; in pancreate Portal; in hepate, et in renibus Platerus et Riverius; in ovariis, in tubis Fallopianis, in utero et in placenta Ruischius, in systemate lymphatico glandulari Soemmering; in musculari systemate Planque; in osseo-articulari systhemate Morgagni. Haec omnia reperiuntur in insigni opere egregii Praeceptoris nostri, atque

consiliaris V. A. Brera in Prolegomenis Clinicis Patavii 1823.

Certum ergo erit, non solum in cistifellea, in vesica urinaria, in parenchymate hepatis et pancreatis gigni posse calculosas concretiones, verum etiam et facilius in renum cavitate, et ureterium (in quibus reperitur majori in quantitate phosphas ex calce, acidum uricom et benzoicum, phosphas magnesiae, acidum carbonicum, carbonas ex calce, phosphas, et hydrocloras ammoniacae, gelatinae, albominae, phosphas sodae, resinae: omnia principia quae eruuntur ex accuratissima analysi calculorum de quibus sermo est, haec tamen principia plus minusve suot praeponderantia) concresci et retineri calculos, qui plerumque veniunt considerandi violentissimorum et crudelium morborum occasionalis causa, qui morbi interdum etiam peritorum oculis obscuri fiunt.

Cum sint mihi verba facienda de renum calculis, omnimoda praecissione ob oculos ponam quidquid ad ipsos partineat; disseram de modo quo formantur, deque eorum causis; phaenomena enumerabo quae cum adsunt, appareant: nan negligam denique de prognosi, ejusque cura aliquantulum loqui.

Concretiones calcareas vel, si mavis, lapideae nihil aliud sunt generatim sumptae, nisi superinductiones plerumque stratiformes substantiarum quae differunt inter se. Ipsae superadduntur corpusculo cuivis quod est nuclei adinstar. Sunt quaedam tamen quae hujusmodi nucleo carent; hoc

in casu gignuntur per depositionem quamdam. Nucleus hic variari potest pro quibusdam combinationibus; potest esse interdum granulum quoddam arenae, fortuito in cavitatem inductum, quod ibi probabili sana ratione semen, ut ita dicam, est calculi nascituri. Quandoque etiam parvulus membranae lacertus se a divellens ab intimo viscere, per unam ex ejus extremitatibus esse pro nucleo potest, quod quidam dici potest da quavis particula parenchymatis, quae ab ipso viscere abscinditur. Inde originem duxit quorumdam error, qui arbitrabantur fieri nequaquam posse, corpora organica adhaerere inorganicis corporibus, et cum ipsis stricte se amplecti; ideoque erroneas esse narrationes illustrium hominum, qui testati sunt se in invenisse calculos inhaerentes partibus organicis; et profecto non oriuntur combinatio et unio hujusmodi duarum substantiarum idest organicae et inorganicae, sed ut supra diximus, vel filamentum membranosum, vel membranae productio sit instar nuclei ad efficiendum calculum, ut per combinationem appareat adhaesio. Quod hujusmodi causae veras sint, id palam fuit in variis individuis, ex quibus vel per lithotomiam detracti sunt, vel per sectiones anatomicas inventi lacerti, qua ratione lapides reperti sunt, qui vel amplectebantur viscera, vel ipsia adhaerebant.

Stratiformem esse calculorum afformationem, satis anatomica sectio demonstrat. Praeterea varia sunt inter se hujusmodi strata, tum colore, tum duritie, pro varietate substantiarum ex quibus ef-

formantur: differunt etiam pondere et fragilitate, nec omnes conspiciendos se praebent eadem forma. Multiformis sunt enim, ovalis, rotunda, angulosa, raro cubica. Differunt quoque superficie, nam huic laevigata facies, illi scabra: nonnulli prominentiis et acuminibus scatent, quare miseri qui tali morbo afficiuntur, valde conqueruntur prae dolorum atrocitate. Variat et eorum color, sunt enim interdum luteoli, cinerei, et juxta eximium Morgagni, plane nigri. Color eorum fere semper est griseo-obscurus, in cysthotithis autem subviridis nigricans. Si ipsis inest color leonnus vel idem subfulvus ejusque superficies levigata est, efformantur plerumque ex acido litico. Cum secantur, apparent coagmentati ex concentricis superficiebus, quandoque homogeneis, quandoque efformatae ex variis substantiis inter se alternis. Si albi sint, vel cinereo-albicantes, tunc efficiuntur ex phosphatis terreis: cum vero sunt nigricantes et duri, generatim componuntur ex oxalato calcis. Cum oriuntur ex phosphato ammoniacae, et magnesiae, exhibent inaequalem superficiem crystallinam, lucentibus particulis ac diafanis conspersam. (Marcet. p. 52). Nec omittenda est haec notio, nempe prorsus deesse constituentium principiorum proportionem: quam notionem veteres aeque ac neoterici Professores chemiae nos docent.

Quod diximus de calculis generatim sumptis valet quidem de renalibus proprie dictis *Nephrolithis*.

Variat calculorum natura pro variis humani

194

corporis organis in quibus formantur, quod quidem ad eorum functiones spectat; quapropter non sunt plane inter se similes vesicales cum hepaticis collati, neque hi cum pancreaticis, aut renales cum postremis. Generatim autem proprium *quidpiam* sibi assumunt, ut facili ratione classem ad quam pertinent, distinguamus.

Porro cum transeundum sit mihi ad indicandam rationem qua efformantur, celeberrimi auctoris Delens doctrinam sequar, ex qua triplicem modum eruimus quo efficiuntur. Primus exoritur ex aberrationibus vitalium conditionum vasorum absorbentium et exhalantium: alter ex organorum generatim secernentium aberratione, vel impedimento quodam mechanico in libero functionum exercitio secernentium organorum: tertius ex nutritionis processus aberratione.

Ad justam trutinam hanc divisionem revocantes patet, quod ad alterum formationis modum pertinent calculi proprie dicti, nempe arenula, concretiones gastricae, nec non dentium tartarea depositio. Hae inorganicas concretiones omnes enascuntur super impositione quadam juxta ea quae leges physicae jubent. Quod si regularis est classificatio quantum pertinet ad earum formationem, non idem autem dici potest de classificatione, si Chemicos audiamus. In quacumque enim chemica analysi erui nunquam potuit materiei exacta proportio, quod unusquisque calculus, et praesertim urinarius, variam exhibet principiorum componentium proportionem. Quamobrem fieri nequaquam

potest hucusque, ut auctores exhibeant regularem classificationem de materia calcarearum concretionum.

Causae ex quibus concretiones hujusmodi oriuntur, dividi possunt in praedisponentes et occasionales.

Inter primas enumerandae veniunt proclivitas ex vitio hereditario, quae facile apparet tum in iis qui calculis renalibus afficiuntur, tum in iis qui vesicalibus laborant. Ætates etiam sunt considerandae: plerumque enim hi morbi et pueritiam, et senectutem affectant; illam per calculos vesicae, hanc renum. Temperamentum athenicum-incitabile operatur quoque praedisponendo ad hujusmodi morbosam concretionem Demum respiciendo est peculiaris quorumdam principiorum quae sanguinem efficiunt, proprietas, quae plus minusve apta sunt ut convertantur in sal; sed sal quod prorsus solvi nequit in acidis animalibus, parum in mineralibus atque in vegetabilibus Aer quidam est praecipuum vehiculum ut calculi efficiantur Quo magis enim hic aer abundat gas acido carbonico, eo magis in intimam sanguinis compositionem ingreditur; quamobrem cum ipsa decomponatur in variis elaboratoriis humani organismi, inde fit ut majori quantitate varia carboniosa salia efformantur, quae in calculorum substantia reperiuntur.

Inter occasionales considerandus est nutrientium substantiarum usus, quae acescendo acidae substantiae copiam mirum in modum nova salia efficiunt ex se consistentia atque praecipitantia.

Idem dici potest de liquidis quae in se easdem solidorum proprietates habent. Vinorum etiam albicantium abusus quorumdam locorum praesertim ut, exempli gratia, agri Bononiensis, morbis calculosis ansam praebet. In insulis Joniis, et praesertim Cephaleniae plures hujusmodi calculorum morbi reperiuntur ex illorum vinorum abusu et testaceorum. In provinciis Venetis littoralis speciatim hisce morbis subjiciuntur tum aeris qualitate, tum nimio testaceorum usu. Clima quoque inter praedictas causas enumeratur, quod prius praedisponens causa est; temporis autem progressu in occasionalem migret. Ipsius quidem visceris conformatio una cum peculiari individui dispositione apta est ad calculos gignendos. Addamus praeterea oportet quidquid potest renes inflammare, videlicet molle stratum, balneorum abusus, vehemens defatigatio, casus, ictus, queis hujusmodi regio afficitur, et animi pathemata quae cum viscerum functiones plerumque conturbant, non possunt quin renes aggrediantur. De immodico Veneris abusu inutile erit quidem verba facere, cum celeberrimus Tissot multa in lucem edidisset, ego vero eadem ipsissima quae scripsit, repetere cogerer.

Quod vero spectat ad signa diagnostica, eorum quaedam confundi possent cum iis quae sunt aliorum morborum propria. Verum si ea disjunctim consideremus, et conjunctim ad examen revocemus, nihil dubio relinquitur, ne possumus perfectam diagnosim instituere.

Fixus et constans dolor ad renum regionem plerumque gravativus est, cum calculus renum substantiae adhaereat, eamque complectatur. Quoties autem calculus ad ureteres appareat, eo momento persentit patiens acutum, imo lancinantem dolorem, qui constans quidem non est, verum intermittens: quae molesta sensatio appellatur *dolor Nephriticus*. Hujusmodi dolor figit hic stationem donec calculus illuc removet: quapropter aeger liberari a cruciatu nequit, nisi ea calcarea concretio viam sibi aperiat per ureteres in urinariam vesicam, vel in renum pelvim non redeat. Hujusce symptomatis meminere auctores omnes qui de hoc morbo pertractarunt, nec non practici universi.

Cruenta urina quae saepiuscule apparet, oritur ex violenta remotione, cui subsequitur renalium vasorum laceratio, quae fit a calculi praesentia, ab ejus quamtumvis levi motu, vel ab ejus constanti statione et incremento. Interdum purum sanguinem patiens non emingit, plerumque sanguis hujusmodi urinae mixtus observatur. Signum hoc certum quidem non est, quatenus ex aliis morbosis fontibus pendere potest. Juxta Hippocraticum aphorismum: *Si quis sanguinem aut pus mingit, renum aut vesicae exulcerationem significat* Aphorism 75 Sectio IV. Si autem ea sanguinis apparitio semel tantum acciderit, habenda est tamquam unum ex praecipuis signis, quod jure ac merito in praxi dolorem cholicum a nephritico distinguit. Hujusce sanguinis

secretio pendere interdum potest e nimia equitatione, a longis itineribus pedestribus, e continua et laboriosa corporis exercitatione. Hoc in casu facile quidem poterit erui causa morbi ex statu aegri ejusque salutis gradu. Ceterum si male haec affectio enata sit in individuo in quo priori tempore judicatum fuit ipsum renali calculo laborare, erit quidem procul dubio certum judicium distractionis calculi, qui vas aliquod laceravit unus ex suis superficiebus acuminatis, unde effectus fuit levis haemorragia in interno visceris, qui sanguis cum sibi aperuisset iter in ureteres et ingressus esset in vesicam per uretram, deinde expulsus fuerit. *Qui sua sponte sanguinem mingunt, us in renibus venae ruptionem significat.* Hipp. Aph. 78. Sect. IV. Urinae qualitas quae secernitur tempore hujus morbi primo, est indolis spasticae vel aqueae, quae deinde tota supprimitur, si hac affectione ambo renes laborent; supprimitur autem partim, si unus ex renibus male afficiatur. Id omne accidit cum nova calcarea concretio obstruxerit secernentium vasorum foramina. Cum vero arenulae pars in ureteres ingreditur, tunc aspicimus urinas crassas, turbulentas et copiosas, laterito colore, quae depositionem farineceam relinquunt, in qua apparet etiam arenula. Saepe oritur rebellis iscuria, qua eo magis morbus gravatur. Tum in urinarum expulsione acutos dolores patitur aeger ex irritamento quod sentit uretra ex arenulae praesentia ortum; nec omittendum erit momentum orientis priapismi, et inextinguibi-

lis salacitatis. Id quidem originem trahit ex supra allata uretrali irritatione, quae cavernosis penis corporibus communicatur, unde cum major sanguinis copia revocetur ad hujusmodi organum, fit priapismi causa. Quod si id eveniat in individuis suapte natura salacibus, qui morboso genio indulgere velint; cum ipsi hinc arbitrantur reperiri sibi levamen, inde sibi ipsi nocumentum afferunt, nec interea inexplebilis satyriasis desinit eos torquere.

Sequitur etiam frequens arenae expulsio, et exigui calculi. Si autem post hujusmodi expulsionem queri non cessat aeger de acutis doloribus constantibus in allata regione, evincitur sine dubio alios calculos inesse, qui jam excretos volumine exsuperant. Exempla non desunt quorumdam, qui in reliqua eorum vita post primam arenae apparitionem in urine, eam secuti sunt secernere, non tamen calculis afficiebantur. Verum id arguendum est in hujusmodi circumstantiis, quod dolorum questus ed renea hisce aegratis vel mitissimus vel nullus erat. Quamobrem judicare possumus eorum organa majori vitae vi pollere, unde facillime ex visceri ad ureterem, et ex hoc ad vesicam arenula praedicta trasmittebatur; quapropter cum ejus mora in rene impediretur, ad formationem et augmentum calculi, ex quo fieri nequiverat expulsio, cooperari non poterat.

Attamen id, quod extra dubium est, cum quamvis in primis calculum aspicimus, extent adhuc in renibus dolores acuti. Interdum expulsis quidem

uno vel pluribus calculis, aeger liber est prorsus a morbo, quod fit peculiari crisi.

Est sensus stupiditatis et obtusus dolor inferioris artus, qui cum rene male affecto communicat; hujus sensationis causa est nervorum compressio, qui a renibus ad inferiores partes se referunt, ad hoc inservit etiam musculus psoas quo, ut moveamus artum, utimur: ab hac sensatione interdum immunis non est superior artus, si aeger praesertim in hac parte decumbere consueverit. Venit etiam considerande cum ceteris, testis qui reni respondet, retractio ad superiora. Hujus retractionis causa est renis et ureteris irritatio, cum diutina sit ex praesentia morbi contrahuntur, et spermatica ipsa vasa attolluntur, quae cum relinquere testem non possunt, sunt enim ejusdem naturae cum eo, fit saepius ut retractum testem ad inguinalem usque annulum videamus. Si harum partium contractio diu protrahitur, ut constans fiat vitium, probabili sane ratione supponi potest, imo asserere, parem etiam deviationem vasicae inde enasci, videlicet ipsam sublimari, et consequenter etiam locum mutat pars quaedam enterici tubi. Contigit enim quandoque ut non modo emingat difficulter, verum etiam alvus stipata fiat, et summe difficultate faeces expellat Haec mala minime cessant, donec primitivus morbus non cesset et ipse, quamvis ad procurandam evacuationem faecum validis medicinis utamur

Nauseae vomituaque praesentia, qui vomitus interdum erraticus, et accessionalis interdum, id fit

ex relatione quae renem inter et ventriculum interest, relatio quae transfunditur ex nervo magno-sympatico, sive intercostali, nec non ab octavo pari, qui ad ventriculum et internam substantiam renum ramos emittit. Cum renes sunt in statu praeternaturali ex calculi praesentia, communicant ventriculo motum quemdam antiperistalticum, quo ejus functiones alterantur; quapropter aeger rejicit initio speciem cujusdam pituitae Quod si diu morbus duret, evomit etiam substantiam inconcoctae bili consimilam, deinde fluidum aeruginis non absimilem.

Demum continui dolores vigilias gignunt, quae ita protrahuntur, ut debilitent aegrotantem; fit in ipso sanguinis alteratio, cujus major pars solito in bilem inconcoctam mutatur; inde melancholicus humor enascitur, ut omnia fastidiat.

Si haec universa signa generatim consideremus, eaque omnia in aegrotante inveniamus, nil dubii esse potest, ut adsit haec mala affectio, ideoque ea pathognomonica appellare possemus; non tamen inde erui potest, si peculiariter ea ad trutinam revocemus.

Et alia signa hic addere possumus ex veteribus excerpta, nimirum: *Quibus in urinis bullae superstant, renum affectiones significant, et morbum fore longum*. Hipp. Aph. 31. Sect. VII. Idem Hipp ad Aph. 76. Sect. IV *Quibus in urina crassa existente carunculae parvae aut veluti capilli simul exeunt, hi de renibus excernuntur*

Ex auctorum univocis votis satis patet haec fi-

lamente allata a medicinae parente gigni ex crassa pituita e renibus secreta, quae plurimum inserviunt calculorum concretioni et incremento. Imo si urinae mixta appareant, pro certo indicio habeamus oportet, ut judicemus calculos in renibus inesse.

Hujusce affectionis prognosis mali semper ominis est. Praeter enim praesentem calculum, qui semper excrescit, sunt etiam chronica inflammatio, exulceratio, dolores plus minusve lancinantes, et intollerabiles, continuae vigiliae, spasmi, convulsiones pertinaces, ardentes febres, urinae retentio, et alia perniciosa symptomata, ex quibus timeamus necesse est, non modo ut fieri possit salutis recuperatio, verum etiam dubitemus ne morbus imminnetur quamvis rationabili ac diligenti palliativa cura uteremur.

Sin autem morbus originem duxerit ab hereditaria quadam dispositione, nihil aestimari possunt artis medicae praesidia, nec aegrotum curare valeremus. Renum affectiones hujusmodi quae diutissime appareant et durent in individuo, summa difficultate sanantur, et speciatim in iis qui ad senium vergunt: quapropter de felici exitu curationis fere desperandum est. *Renum affectiones, et quae circa vesicam constituunt, operose sanantur in senibus* Hipp. Aph 6 Sect. IV. Si praeter renum calculum ulceris existentia in parte male affecta signa sunt, tunc morbus prorsus incurabilis fit. Quamvis enim utamur iis omnibus medicamentis quae levamen dare possunt quoad calculos, id

indubie ulceribus nocebit. Quamobrem tum in hoc tum in ceteris casibus summa inest difficultas invenire nempe therapeuticam methodum, quae ad hanc affectionem leniendam apta sit.

Quod vero ad curationem spectat, praecipiebant veteres enemata emollientia atque sedantia, ut partim minuerentur dolores, qui sympathia quadam in tubo enterico evolvebantur. Deinde adhibere soliti erant antiphlogisticam methodum, quae ulteriori inflammationi obviam iret eamque dirueret, si nata fuisset ex diutinis continuisque doloribus. Neque negligebant quoque humidas fomentationes ad regionem visceris male affecti, vel pro hisce adhibebant super abdomen secundum ureteres, emollientia cataplasmata. Cum dolores remittebantur, purgantibus soliti erant uti, cum eorum quae adhibuerant in dolorum paroxismo, nullus erat effectus non modo, sed nocuus etiam. Praeterea non recusabant emeticorum usum, nam cum ea afferrent aliquantillum irritationis ad ventriculum, opinebantur tali pacto, morbo primitivo opem ferre. Praeter haec emollientes et relaxantes potus exhibebant jubebantque postea venam secari, vel si fieri poterat, haemorroidalem fluxum revocabant, cum suppressus fuisset, utillimum remedium in hisce casibus juxta Hippocraticam sententiam, nempe: *melancholicis et nephriticis haemorroides supervenire bonum* Aph. 11. Sect. VI.

Si linimentis et cataplasmatibus adhibitis, nil levaminis erat aegroto, ad semicupia recurrebant; ad narcotica autem, si diutinis vigiliis nec non de-

loribus laboraret. Nonnulli aquas acidulas minerales adhibere satagebant; inest enim in his materiae mucillaginosae ac calculorum tartareae solvendi virtus.

Cum autem morbi initium appareat, si opportunum auxilium a Medico petatur, ne quaeso omittas curationem cum genericam cum topicam instituere. Ut generice satisfacias, varia utere emulsionibus, oleis, emollientibus enematibus, validioribus diureticis, nec non efficacibus diaphoreticis. Si dignoscantur inflammatoria symptomata, apta methodus antiphlogistica adhibetur; si vigiliae et continui dolores adsint, nota anodyna methodo utitor. Quod vero ad topicam spectat, optimae erunt frictiones, fomenta, embrocationes, semicupia, et generalia balnea. Si variant symptomata, therapeutica methodus alternanda

Si verum est quod subdubitare nemo potest, primum imo unicum Medici officium, esse bonum et salutem aegroti, ita ut Medicus compellatur ut quodcumque medicaminis adhibeat, quo finem hujuscemodi consequi potest: ipsi pariter incumbit, prudentia tamen duce, notum ac vulgatum specificum exhibere, quamvis non sibi arridet, modo ipsamet aeger ad id propinandum compellat. Videtur sane, verum specificum in natura nequaquam esse. Si quid tamen fuit aliquoties, hujusmodi judicatum est cum primum juris communis quispiam fecit, vel quod vulgaretur ab eximio Circumforaneo, vel quod communi voto ipsamet ratio allucinaretur, ut sensibus obtusis in iis qui ipso

statebantur, tanta esset persuasio ejus virtutis, ut immanes esse a morbo crederent, quamvis pristinos morbus eodem esset in statu. Itaque illiusmodi morbi refector habitus est, donec eximius practicus novit et palam facit plures inde morbos ortos, quorum unicus auctor specificum illud repertum fuit. Tunc fides in electivo pharmaco cum fulgetrum disparuit, et perinde ac si ad Lethem bibissent, ejus vis obliti fuerunt. De universis hujusmodi pharmacis non eodem modo ratiocinandum est; nam aliquot sunt, quae datis circumstantiis aequum et justum est, ut credamus morborum intensitatem per ea minui posse. Verum quemadmodum aorum Auctores confingunt sibi morbum suapte marte, et de pharmaci actione in uno tantum morbo judicant, imo renuunt considerare eas partes in quas agit, quamvis indirecte et passive: tali itidem pacto non vident eo in casu magis oriri bina incommodum quam commodum inde. Quemadmodum autem morbi universi etiam ejusdem speciei, variant eodem modo quo singuli homines, qui tali morbo laborant; ita concludendum est, nunquam dari in natura verum et generale specificum.

Innumerae fuerunt Medicae praescriptiones excogitatae ut lapilli mirarentur, ut in casu nostro. Ruischius magni fecit pulverem oculorum cancri calcinatum, una cum crystallo rupea. Alii maximi habuere acidum nitricum, carbonas potassae et sodae. Nobilis Mulier de-Stephens anno 1789 ed coelum extulit pulverem ex ovorum putamine, et limacis in quadam cerevisia solutum, praecipiens

deinde ut biberetur frigida decoctio, ex sapone alicantis, et melle soluto in foliorum persici, nec non cammomillae florum infusione. Alii commendarunt lixivia potassae et sodae, acidum nitricum, et muriaticum, et plura alia reagentia chemica ad decomponendos calculos apta. Egregius Doctor Whytt consulit eos qui hoc morbo aggravantur, ut jejuni sumant aquam calcis praeparatam cum testulis ostreaceis, in qua solutae sint tres saponis drachmae, initium faciens a parva portione, et gradatim ad duas circiter libras sumantur. Suasus ipse erat hujusmodi potionem si minus aptam esse, ut prorsus solveret calculos, saltem posse incrementum impedire. Dominus De-Bordeu ait, nullam esse speciem aquarum mineralium in Gallia, cujus monumentum non exstet sanatam esse choliceam nephriticam calcaream, in qua etiam ostendi non posse plus minusve arenulas eminetae ex hujusmodi aquarum potu. Landihas cumulatum fuit alkali causticum, quod componitur duabus unciis ex calce viva, et uncia tantum ex cinere Tartari, omnia in parva aquae quantitate soluta. Credit medicus Blakerie Anglus hujusce remedii Auctor, vim alkalinam istiusmodi compositi agere in calculos directa, ut videre est in opere Gallice converso sub titulo: *Recherches sur les remedes capables de dissoudre la pierre et la gravelle.*

Celebris Da-Haen credit adhiberi posse Uvam Ursinam: tenet tamen, hanc appellandam non esse Lithontripticam ut plane sonat hoc vocabulum.

Meibomius non minus laudis dedit usui therebintinae venetae, et extracti casearillae in aequis partibus, adhibendo quotidie sex grana in aquam Nympheae, donec urina clarescat. Halmius proposuit solutionem quindecim guttarum ex sale tartari in quatuor uncias aquae purissimae una vice sumendam, deinde superbibendae sunt aliae quatuor unciae ejusdem aquae purissimae, in quibus solutae sint viginti guttae ex spiritu vitrioli.

Saponi, aquae calcis, alkali caustico, tartaro etc plures fuerunt patroni, aeque ac plures etiam adversarii. Quemadmodum corporis humani elaboratorium aliud est ac chemicorum elaboratorium; ita remedia interna certa vi agere non possunt, vel eorum actio est parvi momenti directe in calculos. In eorum enim cursu varie modificantur, et decomponuntur, cum agant praeternaturaliter in loca omnia per quae transeunt; idcirco necesse est asserere, difficillime inveniri posse vera et innocua remedia Lithontriptica. Celeberrimus Redi in suis epistolis, T. II. prolixiora hac super re verba facit.

Opus est ergo uti methodo palliativa supra allata, et praecipere aegroto quidquid conducit ad regimen vitae, haec quae sequuntur, ut mihi videtur, nempe sit dieta natura tenuis, digestu facilis; cibi sint oleosi; nec utatur cibis aromaticis, nec testaceis; proscribantur potus calefacientes spirituosi, et quaedam vinorum species quae causam calculi esse videntur; vetita est etiam equitatio, et nimia corporis defatigatio, non tamen ut homo immotus sedeat; caveant quoque ab usu quiescendi

168

in mollibus stratis, verum sint potius compacta, adeo ut corpori resistant, et vestigium apparere non possit; evitentur demum vigiliae, ex quibus organica sensibilitas augetur, et ex ea major fit proclivitas non modo ad sensum morbi, verum etiam inde oritur notabile virium vitalium detrimentum.

THESES

I

Superfoetatio proprie dicta dari non potest.

II

Falsa judicanda est quorumdam sententia, qui constanter negant muscularium fibrarum in Utero praesentia.

III

Non extat quemadmodum plures volunt, febris lactea.

IV

Febres quae nervosae nuncupantur, proveniunt a neglecto gastricismo, eoque primariae non sunt.

V

Phthysis non comunicat contagium.

VI

Vestium excessus, vel defectus considerandi sunt veluti plurium morbosarum affectionum primaria causa.